



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. VIII. Vtrùm praxis & decreta Romanorum Pontificum faveant
benignæ sententiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

tium experientiam pertinet. Præterea certum est Auctorum illorum libros sedulo lectos, nec autem à sapientibus rejectos fuisse, quàm serio consideratos. Idem præsumendum est de iis, si qui sint,

qui doctrinam ipsius rejecerint. Immerito ergo & incongruè queritur, expertum se, quòd tam ipse quàm alii magis rejecti fuerint quàm considerati.

QUÆSTIO OCTAVA.

Virum praxis & decreta Romanorum Pontificum faveant benigna sententia?

Statu quaestiois.

ROMANUM Pontificem, utpotè universalem Christi Vicarium, in fidei morumque doctrinâ, quam fidelibus proponit, errare non posse, certum mihi est, illudque pro certâ ac pernecessariâ Theologiâ optimè admittit Celladeus *lib. 1. quest. 1. §. 7.* ubi super hoc ipsum, tanquam super fundamentum firmissimum, suam sententiam stabiliri existimat; contendit enim, decretum quoddam Alexandri VII. sibi favere. communique aliorum omnium sententiæ refragari. Verùm in hoc manifestè fallitur, ut in hac ipsâ quaestione evincam.

Cæterum, ut amplior disputationi scopus detur, ego praxim Pontificum eorundem decretis adjungendam duxi; non quòd praxis illorum tantæ auctoritatis sit ad assertionem aliquam comprobendam, quantæ sunt eorum decreta, cum in operando peccare possint, quamvis ex peculiari Dei assistentiâ in docendo errori non sint obnoxii; sed quia communis Pontificum pietate præstantium praxis, ingens honestatis argumentum est. Itaque si constiterit, Summos Pontifices, probitate, ac sapientiâ præcipuos, opinione benignâ usos fuisse, atque suas ex eâ operationes regulasse, nemo, ni fallor, eam amplius falsitatis aut periculi audebit condemnare, & in tantos animarum suarum Pastores insurgere. Sed quia de hac Pontificum praxi sat fusè egit *quest. 22. de conscientia probabili, num. 185. & seq.* ideo ea hoc loco solum indicabo, quæ ibi tradidi; mox alia complura afferam illis potentiora, per quæ constabit, licitum opinionis benignæ usum, etiam quoad minus probabilia, tantum non à Summis Pontificibus declaratum ac definitum fuisse. Sed ad rem ipsam. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Praxis Summorum Pontificum, pietate ac prudentia conspicuorum, apertissimè favet benignæ sententiæ, rigideq; ac singulari Celladei opinioni penitus refragatur.

Pontifices in rebus maximis sæpe sequuntur partem minus tutam, contra tutiorem probabili.

2. **P**ROBATUR. S. Thomas 2. 2. *quest. 88. art. 11.* (quem Thomistæ unanimiter sequuntur) expressè docet, Summum Pontificem in voto solemnè dispensare non posse. Alii contrariam sententiam tenent, quàm etiam S. Thomas in *commentariis in lib. sentent.* tenuerat. Similiter S. Bonaventura, Scotus, Scotistæ omnes, aliique quàm plurimi docent, Papam in matrimonio rato dispensare non posse. Alii è contrario docent oppositum. Certum tamen est, complures Summos Pontifices, prudentiâ ac probitatis laude conspicuos, in utroque casu sapius dispensasse, non obstante, quòd valde probabi-

lis Theologorum opinio doceret, tales dispensationes esse invalidas. Ergo Summi Pontifices, non solum ut privatæ personæ, sed ut supremi Pastores, in rebus summi momenti frequenter sequuti sunt opinionem probabilem minus tutam, quamvis opposita esset probabilis, aut etiam probabilior illâ quam sequebantur. Argumentum hoc fusè explicatum habes *quest. 22. de conscientia probabili à num. 185. usque ad 200.* Quæ autem contra objiciuntur, soluta habes in *eadem quest. num. 227. & seqq. usque ad finem.* Ibidem habes plura circa alias materias dispensationum exempla, quæ validissimè confirmant benignam sententiam, oppositamque Celladei opinionem priorsus evertunt.

ASSERTIO II.

Decreta Summorum Pontificum, & nominatim tam decreta quàm indubitata sententiæ Alexandri VII. nobis favent, Celladeo autem adversantur.

3. **P**ROBATUR primò. Innocentius III. in *cap. Inquisitioni tue, de sent. excom.* expressè definit, partem minus tutam sæpe esse licitam, etiam quando adfuerit rationes dubitandi, quibus homo, jam operaturus, antea credulitatem & assensum præstiterat. Expressè enim docet, conjugem, qui dubitat, imò qui credit matrimonium suum esse invalidum, posse non solum reddere, sed etiam exigere debitum conjugale, si illa credulitas sit levis seu temerè concepta, modò prudenti ratione vel consilio tamquam talis explodatur ac contemnatur. Audi verba formalia. *In secundo distinguimus, utrum habeat (conjug) conscientiam hujusmodi ex credulitate levi & temeraria, an verò ex probabili & discretâ. Et quidem ad sui Pastoris consilium (conscientiâ levi & temeraria credulitatis explosâ) licitè potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale, &c.* Et quidem hoc traditur in materiâ juris naturalis, & in rebus, quæ sunt essentialiter, & intrinsecè malæ. Ergo illud ipsum à fortiori locum habet in materiis juris positivi; difficilius quippe est honestare quæ ad jus naturæ, quàm quæ ad jus positivum pertinent. Vide *quest. 19. de conse. prob. à num. 15.* ubi argumentum in hoc canone fundatum ponderavimus. Vide etiam *quest. 23. in eodem tractatu à num. 65.* atque etiam *quest. 26. à num. 37.* quia ibi etiam plura ad hunc textum spectantia sunt dicta. At hæc omnia expressè repugnant Celladeo, qui nec majorem probabilitatem, immodè nec ipsam certitudinem existimatam pro regulandâ conscientia afferit sufficere.

Rursum tota *questio 26. de conscientia probabili* consulenda est; ubi ex professo ostendi, sacros Canones

Canones à præcipuis Summis Pontificibus dictatos nobis favere, & tantum non benignam sententiam expressè tradere; simulque solvi quidquid in contrarium allatum est.

Leo X. approbavit benignam sententiam.

Probatur secundò. Leo X. ut refert Casarubius verbo *declarare*, concessit Fratribus Minoribus, qui scrupulis vexantur, ut possint in omnibus dubiis, securâ conscientiâ, stare determinationi suorum Superiorum. Hoc privilegium non aliâ ratione potuit concedi, approbari, ac declarari pro sufficienti conscientiâ regulâ, quàm quia assertio viri probi & periti in omni materiâ reddit sententiam suam probabilem, & consequenter fundat sufficientem regulam pro conscientiâ ritè formatâ, modò se gerat ut decet virum peritum & probum; quales esse, & qualiter se gerere meritò supponendi sunt, qui in sanctissimo illo sapientissimoque Ordine in Superiores eliguntur. At hoc est totum, quod asserimus. Ergo hæc Leonis X. declaratio ex unâ parte supponit veritatem benignæ sententiæ, & ex alterâ eam approbat, & quodammodò exercitè definit illam esse veram.

Urbanus VIII approbavit benignam sententiam in latissima e jus acceptatione.

3. Probatur tertio. Ex decretis Pontificum recentiorum. Inprimis Urbanus VIII. videtur absolute declarasse, usum opinionis benignæ, etiam quoad partem minùs probabilem, esse licitum. Hoc ut probem, exscribendum mihi est integrum caput 15. libri *historiæ Paraquariæ Provincia, Patri Nicolai del Techo Soc. Iesu*, in eadem Provinciâ Missionarii, ex cuius lectione id ipsum clarè constabit. Sic ergo scribit.

Guarani gentis primores solebant tot pellices alere, quot eorum libido & auctoritas à popularibus suis impetrabat, nec aliud erat majus capessendæ religionis nostræ impedimentum, quam cum monerentur, unicâ uxore Christianos ex lege divinâ contentos esse debere. Accessit huic obstaculo nimia quorundam sociorum religiositas, ejusmodi homines ad primam uxorem adigere volentium. Alii, dempto scrupulo, religionem Christianam ineuntibus, quamcumque velent ex pellicibus pro uxore permittebant. Ob earum opinionum diversitatem inde natam, quiddam Doctores Scholastici de eâ re inter se dissentiant, ad Summum Legem interpretem recursum est, & Ioannes Lugo, postmodum Cardinalis, rem totam his verbis Urbano VIII. Pont. Max. exposuit. Sanctissime Pater, in Provinciâ & regno Paraquariæ; in Indiâ Occidentali, maxima difficultas suboritur in conversione, ne infidelium ad fidem nostram, quando aliqui ex ministris volunt illos cogere ad recipiendum, & retinendum primum conjugem, quem in infidelitate habuerunt: Gens quippe, ex innatâ barbarie passim conjuges (si verè conjuges dicendi sunt) dimitunt; non aliter quam nostri famulas & famulos. Et hoc solùm, quia conjux infirmatur, nec coquere cibos potest, aut vestes consuere, vel domûs curam habere, vel quia jam senescit; imò frequenter non unam solum uxorem accipiunt, sed simul cum eâ omnes ejus filias, vel sorores, si quas habet: ex quibus postea donat amicitis aliquam, vel famulo in gratiam obsequii, quam postea repetit, si famulus discedat; aliis, sola loci mutatio causa est deferendi conjugem, ne eam secum ferat. Itaque plerique putant, non esse, saltem communiter, apud illos verum matrimonium, sed concubinatum: atque ideo permittunt, quòd conjugem baptizatum accipiant, quando ad fidem convertuntur. Alii tamen scrupulum habent, & cogunt eos ad recipendam primam conjugem, ex quo magna

incommoda sequuntur. Primò, quòd multi hoc terrore baptismum avertantur. Secundò, quòd mentiuntur dicentes, se nullum alium conjugem habuisse, & malâ fide cum alio contrahunt. Tertio, quòd fingunt se repetere primam uxorem, sed reverâ aliam habent, nec de primâ curant. Quarto, quòd frequenter difficultimum est primam agnoscere, quia vix recordantur in tantâ multitudine, quæ fuerit prima; & illâ inventâ oportet rursus inquirere, an illa prius habuisset viros, & rursus de iis viris, an prius alias habuissent uxores. His accedit, quòd frequenter in iis conjugibus non utantur signo aliquo externo speciali. diverso ab eo, quo concubinam ad hebdomadam vel mensem accipiunt. Quare sæpe non invenitur signum externum expressivum consensûs ad matrimonium requisiti. Unde attentâ eorum praxi, & consuetudine, multi pii & docti viri putant communiter, non fieri apud ipsos verum contractum matrimonii. Caterùm ad tollendos scrupulos & dubia, & ad hoc gravissimum impedimentum auferendum illius gentis, conversionis ad fidem, à Sanctitate vestra humiliter petitur, ut quandoquidem juxta virorum doctorum doctrinam, Sedes Apostolica, ex gravi causâ potest aliquando matrimonium infidelium dissolvere, prout sanctitas vestra declaravit in Brevi suo expedito die vigesimâ Octobris, anno 1626. & rursus in alio simili die 17. Septembris, anno 1627. his verbis. Nos attendentes hujusmodi infidelium matrimonia non ita censeri, quin necessitate suadente dissolvi possint. Et. Et quidem in hoc gravissima causæ sunt, imò necessitas ad conversionem illorum infidelium: dignetur Sanctitas vestra ex benignitate Apostolicâ concedere Provinciali Societatis Jesu facultatem, ut ipse, & ii ex Societate, quibus ipse conversionem gentis demandaverit, & communicandum censuerit, possit occurrente casu, & factò examine, & manente dubio de valore prioris matrimonii in infidelitate facti, vel magnâ difficultate inveniendi veritatem, vel magnâ difficultate repetendi primum conjugem jam dimissum, possint, inquam, ad conversionem faciliorem reddendam, vel ad conversorum manutentionem in fide & obedientiâ legum Ecclesiasticarum, dispensare cum ejusmodi conversis, ut possint post baptismum contrahere verum matrimonium in facie Ecclesiæ. Hoc enim modo Sanctitas vestra Infidelibus illis aditum ad Ecclesiam patefaciet, quem Dæmon occludere conatur, prout de vestra Sanctitatis benignitate sperare jubet, quam Deus, &c.

Urbanus Octavus indictò sapientum virorum super eâ re consulto, pronuntiavit, non videri sibi specialis suâ dispensatione opus esse, ubi Doctorum sententiæ utrimque probabiles intercederent: sequerentur opiniones pro conditione locorum, ac hominum, barbaris favorabiliores, salvâ interim utriusque partis auctoritate, sinerent doctis hominibus sentiendi libertatem. Consilium igitur sociorum, plerorumque in his terris gentium, opinio praxi confirmata fuit, horum barbarorum matrimonia, ob rationes supra relatas, nullâ esse; & posse barbaros ad fidem conversos, quamcumque baptizatos, rejectis aliis, in conjugem sumere. Quamquam eam semper adhibere cautelam, quam rei gravitas postulabat. Hactenus P. Nicolaus del Techo.

Ex hac narratione multa sciuntur. Primura est, Urbanum VIII. à Missionariis Evangelicis in-

terro-

terrogatum fuisse, quomodo in re difficili, ad jus naturæ atque matrimonii validitatem spectante, se gerere deberent. Hi enim, ut absque scrupulis, ac tutius procederent, suppliciter rogarunt, ut facultatem cum infidelibus illis ad fidem conversis dispensandi tribuere dignaretur, quando post factum examen dubium adhuc esset, an matrimonium in infidelitate contractum esset validum, &c. Pontifex, quod sui muneris erat, eos directurus, ac salutis & conscientis tam Missionariorum, quam infidelium conversorum consulturus, examen peritorum adhibuit, illoque præmisso, respondit sibi videri, opus non esse speciali dispensatione, quando probabiles hinc inde Doctorum sententiæ existerent; sequerentur proinde opiniones barbaris favorabiles, sic enim tutos fore, nec alio opus esse ad dubia scrupulosque tollendos. Hoc respondit Pontifex, & nisi hoc respondisset, quæstioni petitiæ non satisfacisset, nec oves anxias, quod humilimè petebant, direxisset. Hæc autem responsio prorsus docet, licitum illis esse sectari quamcumque opinionem certò probabilem barbaris favorabiliorem, quamvis illa minus probabilis fuerit. Ergo Urbanus VIII. quoad omnia benignam sententiam esse veram non tam censuit, quam curam ovium exercens, fidelesque requisitus post maturam consultationem palcens, declaravit.

Adversarii merito victoriæ clamarent, si talem profectio decisionem haberent.

6. Quid diceret Celladeus, quid alii adversarii dicerent, si Summus Pastor, à suis ovibus interrogatus, quomodo in tali casu tuti esse possint? respondisset, eo ipso quòd probabiles sententiæ hinc inde existerent, sibi videri nulli licitum esse sequi partem minus tutam; sequerentur proinde in tali casu partem tutiorem, nec ab eâ absque expressâ dispensatione recederent. Haud dubiè longè lateque victoriæ clamarent, dicerentque, Pontificem in summi favorem quæstionem solvisse, ac proinde infallibili morum regulæ absque ulla amplius hesitatione credendum esse. Cur ergo ipsi non dant manus, cum Pontifex quæstionem in favorem benignæ sententiæ resolverit, & quodammodo definiverit? existimo quidem homines, contrariæ sententiæ non admodum ardentè addictos, his lectis, veritatem visuros, illique subscripturos; sed vereor, ut proprii Auctores rigida sententiæ in illâ permaneant, & variis interpretationibus ac limitationibus clarissimam hanc prudentissimi ac vigilantissimi Viri, Summi que Pastoris decisionem obtusare conentur; sed frustra erunt omnia, cum factum pateat, & claritas decisionis nullis tenebris involvi possit.

Porrò ut nostri Missionarii juxta hanc Urbani declarationem uniformitèr procederent, R. P. Generalis, Mutus Vitelleschius in hæc verba ad Provinciales scripsit. Circa matrimonia infidelium, quando ad Evangelium reduuntur, utrum solvenda sint nec ne, &c. Responde per P. Procuratorem, qui referet responsum sua Sanctitatis, & sensum etiam aliorum Doctorum. Totum in hoc resolvitur. Videntur an Punctum, quod controvertitur, sit probabile, nec ne. Rogo reverentiam vestram, injungat Magistris doctis, ut quæstionem examinent, informationemque faciant, & statuatur quod probabile fuerit, & hoc uniformitèr in Provinciâ reducat in praxim. Hæc hispanicè scripse habentur in Registro Epistolarum R. P. Mutii Generalis ad diem 31. Julii anni 1639. Ea ego in latinum transtuli.

U. banus VIII. præf. sup. pont. utrâ.

7. Secundum est, quòd Pontifex apertè supponat, utramque opinionem contradictoriam esse posse simul probabilem, nec supponit tan-

tum; sed expressè vult, ut, non obstante declaratione, quòd Missionarii tutò sequantur opinionem minus tutam, alteri opinioni nil suæ probabilitatis & Auctoritatis deccdat, sed unicoque sua opinandi libertas relinquatur. Hæc omnia Celladeo expressè repugnant, cum in omnibus istis contraria sentiat.

que partem est probabilem.

8. Tertium est, quòd sagacissimus & prudentissimus Pastor per hoc expressè declaraverit, verum esse, quod quæst. 22. de conscientia probabili num. 187. tradidi; nempe Pontifices, quando in dispensando uni sententiæ se accommodant, non ideo declarare alteram esse falsam, aut ullam ei notam inurere, sed illam in suâ probabilitate, atque etiam homines in opinandi libertate relinquere.

Pontifices sectantes unâ opinionem, oppositam in suâ probabilitate relinquunt.

9. Quartum est, quòd Missionarii illi Evangelici, qui, hæc Urbani responsione instructi, sciebant sibi licitum esse sequi opinionem probabilem minus tutam, cautelam semper adhibuerint, quam rei gravitas postulabat. Adeo verum est, Auctores & sequaces benignæ sententiæ, quamvis à nonnullis adversariorum palpones, laxones, aliisque id genus nominibus appellentur, verè laxos non esse, sed prudentes & cautos, cum non nisi cautè adhibeant remedium, quod tamen licitè applicari posse sciunt. Verum omnia tentant, ut quantum fieri potest negotia optimo modo administrarentur. Atque utinam omnes, qui in benignæ sententiæ proflores insurgunt, parem in praxi cautelam ac moderationem sectentur, nec laxius casus resolvant, quàm illi, quos laxones appellantur.

Sequaces benignæ sententiæ non minus cauti sunt, quàm illi à quibus laxones appellantur.

10. Porrò quòd ad Alexandrum VII. in quo Celladeus se solidissimum fundamentum habere jactat, attinet; ille, ut refert Caramuel in Apologemate, non solum dispensavit, ut illustrissimus D. Iosephus de Conti ab uno Episcopo, & duobus Abbatibus consecraretur, sed etiam indulsit, ut electus Episcopus de Assumptâ, ad Provinciam Paraguarientis pertinens, ab uno Episcopo posset consecrari. Verum ille, antequam facultas obtenta ad suam pervenisset domum, ab uno Episcopo cum duobus Canonis ordinatus est. Porro cum hæc ordinatio in dubium vocata esset, sacra Cardinalium Congregatio die 15. decembris anno 1657. declaravit, supradictam consecrationem Episcopi Paraguarientis, quantum spectat ad Sacramentum & impressionem characteris, fuisse validam. &c. & Alexander VII. declarationem hanc per literas Apostolicas in formâ Brevis confirmavit. Hæc ex Caramuele olim notata iterum cito, quia decreta ipsa nondum videre licuit.

Alexander VII. Celladeo contrariatur in praxi.

Hinc sic arguo. Plurimi, gravissimique Auctores censent, Pontificem in hæc re dispensare non posse. Diana parte 10. resolut. 19. fatetur hanc sententiam esse oppositâ communiorum. Castro Palaus tom. 4. tract. 27. puncto 14. opinionem hanc validissimis rationibus & Auctoritatibus roborat, eamque tamquam contrariâ longè veriorum supponit. Unde cum Caramuele sic subsumi potest contra Celladeum. Alexander VII. in re summi momenti, quæ non solum ad privatam ejus personam, sed etiam ad publicum ipsius officium pertinebat, sequutus est opinionem minus tutam, etsi solum æquè, aut etiam fortasè minus probabilem oppositâ; minus inquam, tutam, quia agitur de necessitate mediæ, in quo si erretur, bona fides non sufficit. Illi enim non essent veri Episcopi, nec ab eis ordinati forent veri Sacerdotes; sine veris autem Sa-

In re summi momenti sequutus est opinionem minus tutam, contra probabilem tutiorem.

cerdotibus Sacramenta Eucharistiae, Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis nulla sunt. Ideoque populi, quibus illi præficiuntur, medis ad salutem valde necessariis privarentur. Ergo Alexander VII. existimavit licitum sibi esse sequi opinionem probabilem contra tutiorem etiam probabilem, alioquin contra conscientiam egisset; quod certè de Viro summi ingenii, experientiæ multiformis, atque probitatis eximia, nemo nisi impudentissime dixerit, aut judicaverit, maximè in rebus istiusmodi, in quibus liberrimum ei fuit, tales dispensationes concedere aut negare. Ita cum Caramuele aliisque urgeri potest hoc argumentum, de quo tamen ego *quæst. 22. de conscientia* probabilis à num. 191. paulò aliter, ac Sedi Apostolicæ multò favorabilis censui. Locus consulatur, ubi multa de hac materiâ scitu digna exponuntur. Cæterum haud dubiè argumentum convincit, Alexandrum VII. in rebus summi momenti hinc inde probabilibus sequutum esse partem minus tutam, contra oppositam partem tutiorem; ac proinde existimasse, benignam sententiam esse sufficientem conscientiæ regulam.

attributionis præfata scribent, aut libros aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut scholares, ceterosve erudient, non audeant alicujus Theologica censura, alteriusve injuria, aut contumelia notâ taxare alterutram sententiam, sive negantem, necessitatem aliqualem dilectionis Dei in præfata attributione ex metu gehennæ conceptâ, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictâ dilectionis necessitatem, donec ab hac Sanctâ Sede fueris aliquid in hac re definitum, &c. Ecce Pontifex, tam in materiâ fidei quàm morum, ita versatur inter opiniones contrarias, quæ aut communiter aut certè ab aliquibus probabiles reputantur, ut utramque toleret; & ab aliis omnibus toleratam velit, cum severissime prohibeat, ne quisquam censurâ ullâ, aut contumeliâ notâ quamvis illarum taxare audeat. Porro in materiâ Immaculatæ Conceptionis, saltem juxta eorum opinionem, qui minus piam sententiam tenent, magis tutum est ab omni opinione assensum cohibere; sic enim certissime non erratur, cum errandi periculo se exponat, quicumque illi sententiæ assensum præbet. In materiâ verò contritionis, pars negans necessitatem dilectionis est minus tuta, quæ tamen à suis assertoribus proponitur tanquam pro praxi sufficiens. Constat itaque Alexandrum VII. non solum ut privatum Doctorem, sed ut publicum Ecclesiæ Pastorem censuisse, licitum cuique esse in materiâ fidei ac morum ex contrariis opinionibus certò probabilibus sequi quamcumque pro libito, modò illi tanquam veræ adhaerere. Si enim contrarium censuisset, debuisset subditos à sequendis ejusmodi opinionibus aut terrere, aut saltem dissuadere, & non præbere eis occasionem sectandi illas opiniones, quarum usum noxium & peccaminosum reputabat. His addendum est Decretum, quod Alexander VII. septimo Calendæ Julii an. 1665. edidit contra duas censuras Sorbonicas; ex illo enim adhuc clariùs apparet, Summum istum Pastorem nobiscum sensisse. Sed Decretum mox opportunius afferetur in solutione objectionum.

Decreta Alexandri VII. probant benignam sententiam esse veram.

11. Et hæc quidem de praxi Alexandri VII. dicta sunt; de quo etiam aliundè constat, quòd privata ipsius sententia fuerit, licitum esse usum probabilium contra tutiora pariter probabilia, aut etiam probabiliora, ut ex dicendis in solutione Objectionum constabit. Quocirca superest, ut de ejusdem Decretis, ac de doctrinâ, quam Ecclesiæ tenendam proposuit, aliquid dicamus. Inprimis anno 1661. celeberrimam edidit Bullam in favorem Immaculatæ Conceptionis, in quâ tamen ita se gessit, ut ex contrariis sententiis neutram censurâ ullâ notaverit; quin è contrario satis apertè ostendit, se credere, neminem ex eo peccare, quòd ullam ex illis opinionibus sectetur. *Vetamus, inquit, quòd propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet, gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant, cum à Romanâ Ecclesiâ, & ab Apostolicâ Sede nondum fuerit hoc decisum, prout nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter penas, quibus eos subjecit Sixtus IV. &c. gravioribus aliis pœnis subijcimus, quas in contra facientes huic nostræ constitutioni superius infliximus. Certè existimasset, eos peccare, qui asserunt Beatissimam Virginem fuisse in peccato conceptam, minus rectè fecisset, dando illis occasionem continuandi in suâ opinione, dum penas exaggerat contra eos, qui illam peccati condemnare audent.*

13. Quis jam non videt, quantum & privata opinio, & publica Alexandri VII. documenta à singulari Celladei opinione recedant? Celladeo contrariatur. deus omni nisu contendit, tutiorem partem inter probabilis esse tenendam, nec speculative tantum loquendo hoc contendit, sed practicè asserit, contrariam sententiam esse periculosa, & raro aut nunquam à peccato excusare, si sit falsa, quamvis bonâ fide credatur vera, & reputetur esse certissima. Et quidem loquitur de peccato non materiali sed formali, quòd scilicet malitiam peculiarem per se imputabilem continet. Alexander VII. si hoc verum reputasset, nunquam tolerasset sententiam minus tutam, sed ad minimum illam ut periculosa proposuisset; hortatusque fuisset fideles, ut ab illâ in praxi abstinerent. At hoc non præstitit, sed è contrario illam tanquam communiorem, nullaque censurâ dignam proponit, imò sub gravissimis pœnis vetat, ne quisquam ullâ censurâ talem opinionem taxet. Ergo decreta Alexandri VII. Celladei opinioni omnino contrariantur.

12. Rursus anno 1667. quinto Maii, non diù ante mortem in generali Sanctæ Inquisitionis Congregatione decretum edidit circa disensiones Auctorum de materiâ Atritionis, in quo hæc habentur. *Sanctissimus D. N. Alexander papa VII. cum acceperit non sine gravi animi merore Scholasticos quosdam acriter, nec absque fidelium scando inter se contendere, an illa Atritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus aliis, & invicem adversam sententiam censurantibus, Sanctitas sua emixè cupiens pacis vinculum inter fideles servari, &c. Hoc præsentis Decreto in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœnâ excommunicationis late sententiæ huic Sanctæ Sedi reservatæ, &c. præcipit cunctis & singulis, &c. ut si deinceps de materiâ*

14. Cæterum, haud facile se extricabit Celladeo à periculo incurrendi censuram ab Alexandro VII. hoc in decreto adversus eos, qui ullam ex contrariis opinionibus censurâ Theologicâ taxant, interminatam. Dicere, opinionem aliquam esse adeo periculosa, ut quomodocunque operans sibi conscientiam formet eam sectando, adhuc

Doctrina Celladei non caret periculo incurrendi censurâ ab Alexandro VII. interminatam.

adhuc periculo peccati formalis se exponat, actūque peccet, si contingat eam esse falsam, quamvis non solum probabilis, sed certò credit eam veram ac licitam, est censuram Theologicam gravem illi inurere. Dicere docentes talem opinionem esse licitam graviter peccare, non solum materialiter, sed peccato per se imputabili, casu quo errent, modò probabile sit quod errent, est magnam injuriam ac infamiam notam tali opinioni inurere. Celladeus utrumque universaliter tradit de omni opinione minus turā, de cujus veritate Auctores dissentiunt. Ideoque si generalem suam doctrinam ad hanc peculiarem materiam de attritione applicet, aut concedere debet opinionem, negantem aliqualem dilectionis Dei necessitatem, esse gravi censurā dignam, aut totum suum opus retractare. Cesset ergo jactare, Alexandrum VII. à suis partibus stare.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Alexander VII. merito queritur, doctrinam moralem fuisse laxatam.

15. **O**BJICIT primò. Alexander VII. anno 1665. Decretum edidit, in quo plures propositiones in re morali nimis laxas damnavit. Verba Decreti sic se habent. *Sanctissimus D. N. auditur non sine magno animi sui dolore, complures opiniones Christiane disciplinae relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquitatis iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrefcere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepfit, alienus omnino ab Evangelicā simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrinā, & quem si pro regulā fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christiana vita corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in aeternum permanent, arctam esse desinivit, in animorum perniciem dilatarī, seu verius perverti contingeret, idem S. D. N. ut oves sibi creditas ab istiusmodi spatioſa, lataq; per quam iter ad perditionem, viā Pastoralī sollicitudine in rectam semitam revocaret, &c. Hinc sic arguit Celladeus. Hæc est mens Romani Pontificis, qui in tradendā fidei ac morum doctrinā errare non potest. Ergo non mecum, inquit, sed cum Romano Pontifice contendant, & obtendant laxandum esse; sin minus, offendicula apponi, perplexitates induci, &c. Ita Celladeus lib. 1. quest. 1. §. 7. qui proinde hoc scuto se tutum arbitrat, sibi que laudi ducit, quod summa luxuriantium ingeniorum licentia, ut Decretum loquitur, in dies magis excrefcens, viribus omnibus obfistat.*

Respondeo, multa absque dubio irrepisse in doctrinam moralem, quæ merito rejecta, & damnata fuerunt, eò quod laxitatem saperent non ferendam; laudandus proinde foret Celladeus, si aut solum in genere, aut etiam in specie, tales doctrinas impugnasset, meque nullatenus sibi contradicentem, sed ubique applaudentem audiret; ægerimè enim fero, semperque tuli ejusmodi laxitates, & valde gaudeo plures ejusmodi propositiones ab Alexandro VII. fuisse proscripſas. Verùm cum Celladeus communem omnium Auctorum, omniumque ætatum opinionem convellere studeat, singularemque & priùs inauditam morum regulam inducere studeat, non plausum meretur, sed impugnationem. Negat ille ullam opinionem controversam, etsi probabiliorē, etsi unicè probabilem, etsi certam existimatam, à peccato per se imputabili excusare, quo uno omnibus prorsus Catholicis scrip-

toribus contrariatur, & apertè errat, ut fusè evici in tractatu de conscientia probabili, & in hoc opete fufius evinco. Rursus asserit, solas opiniones veras esse sufficientem regulam operationis honestæ, cum tamen neminem, pro se citare possit, aut rationem asserre, quæ speciem probabilitatis (etiam illius, quam consuetam appellat, & sub nomine consueti traducere conatur) habet, ut quest. 3. ostensum est. Hæc, aliæque ejusmodi sunt doctrinæ tuæ, Celladee, quibus obfistimus. Tibi in his, non Romano Pontifici nil talia docenti, contradicimus. Illius definitioni tanquam certæ regulæ morum in omnibus obtemperamus, & acquiescimus. Cum illo dicimus, non esse laxandum, sed stringendum, quia quæ nimis laxa sunt, stringi debent; sed contra has tuas asserſiones laxandum dico, quia sunt contra omnes; quia nimis strictæ sunt, quia falsa, quia cælum hominibus claudunt. Tibi ergo obfistimus, non Rom. Pontifici, in cujus Decreto nil habes, quo peculiare has tuas doctrinas vel apparenter cohonestes.

Nos Celladeo non R. Pontifici resistimus,

16. Respondeo secundò, Celladeum hoc in loco & scopum suum deseruisse, & Decreto Pontificis abufum esse. Scopum sibi præfixerat, ut doctrinam reflexam, quæ asserit, licitum cuique esse sequi opinionem certò practicè probabilem, impugnet; hoc autem omisso, ad doctrinas directas à Pontifice pro laxis damnatas divertit, illasque accusat, atque per hoc se causam suam præciare egisse existimat. Sed in primis ærem verberat, cum neminem sibi contradicentem habeat; deinde in vanum laborat, cum ex hoc nullum pro sua doctrinā confirmandā subsidium reperiat. Neque tantum scopum deseruit, sed hoc Alexandri VII. decreto abufus est, Decretum enim illud nullam ferit opinionem, quam Pontifex, aut ejus Consiliarii probabilem judicabant. Constat siquidem ex Decreti tenore, examen damnatarum opinionum pluribus Theologis commissum fuisse, atque etiam Cardinalibus, quæ Generalium Inquisitorum munere funguntur, eorumque singulos suam sententiam Summo Pontifici sigillatim exposuisse. Itaque absque dubio Decretum hoc in Qualificatorum censurā fundatum est. Notorium autem est, omnes & singulos illorum Qualificatorum tenuisse doctrinam reflexam, quam Celladeus impugnat. Rursus Qualificatores nullam opinionem censuerunt, quam credebant esse probabilem, quin & ipse Pontifex, ut reprobarat duas ex propositionibus damnatis, nempe 27 & 40. damnavit dicentes illas esse probabiles. Itaque certum videtur, Alexandrum VII. nullam propositionem damnasse, quam ipse & Qualificatores non reputarent esse improbabilem. Celladeus ergo abutitur hoc Decreto, dum ex illo stabile conatur suam sententiam, quæ omnem opinionem probabilem minus tutam tanquam in praxi periculosam, eoque nomine omni explosione dignam rejicit.

Pontifex solus opinio- nes improbabiles damnavit.

17. Quod si occasionem ac finem Decreti præ oculis habeamus, ex illis efficacissimum contra Celladeum argumentum deducitur. Occasio hujus decreti, ut in ipso ejus exordio narratur, fuit rumor sparsus de multitudine opinionum laxarum quotidie invalescentium, contra quas non pauci vehementius insurrexerant. Janfenistæ hæc in parte alii præluxerunt, nemo enim ab initio præter illos universalem doctrinam reflexam condemnavit. Post hos nonnulli Catholici scriptis suis nimias laxitates reprehendere cæperunt.

runt, plerique ad opiniones particulares, de rebus directè concludentes, sese prudenter restringebant. Pauci animo impetuosiore, ac minus consideratè in universali doctrinam reflexam condemnabant, in quo imitabantur Jansenistas, qui ideo potissimum contra opinionem benignam insurgent, quòd arbitrarentur, nil se efficere posse, quamdiu illa staret, cum illa omnem opinionem practicè probabilem pro sufficienti conscientia regulà sufficere traderet. Clamores isti aures, atque etiam animum Alexandri VII. perculerunt. Dum hæc ita se haberent, Amadeus Guimenius librum edidit, in quo plures opiniones collegit, quas multi diu ante tamquam laxas condemnaverant. Liber iste Guimenii plurimum animos popugit. Itaque undique per Galliam ac Belgium contra eum clamatum est. Facultas Parisiensis censurâ gravissimâ Guimenii librum notavit. Pontifex clamoribus istis atque dissensionibus gliscens, atque in dies crescentibus, hanc summi momenti caulam se examinari voluit, atque quantum fieri potuit terminari. Inprimis ergo septimo calendis Julii anno 1665. per Breve speciale Facultatis Parisiensis censuram tanquam præsumptuosam, temerariam, ac scandalosam damnavit, illamque cassam, & irritam esse voluit. Et hæcenus quidem explicui occasionem, atque originem, ex quâ Decretum à Celladeo citatum emanavit. Finis autem ejusdem edendi duplex erat, primarius quidem, ut ex textu Decreti patet, fuit ovium Summo Pontifici credituram filus, quæ hîc & nunc exigebat, ut scirent quid in tantâ opinio-nis varietate habendum, quid non habendum esset pro laxo. Et consequenter quid esset, quid non esset vitandum? Secundarius autem finis fuit, ut Sancta Sedes vigilantiam suam testatam redderet, simulque reipsâ probaret, se non parvi facere excellentissimam Facultatem Parisiensem, quòd nuperam ejus censuram damnasset. Itaque post tres menses à dictâ censurâ condemnatione, nempe 24. Septembris ejusdem anni 1665. Decretum edidit, in quo damnavit 28. propositiones laxas in materiâ morali. Deinde 10. Aprilis anni infrequentis 1666. Guimenii librum prohibuit, qui plures opiniones laxas in unum collegerat. Nec hîc stetit zelus & prudentia Alexandri, siquidem 18. Maii ejusdem anni 1666. alias 17. propositiones laxas condemnavit, ita ut universum 45. propositiones laxæ à vigilantissimo Pastore damnatæ sint.

Guimenii liber à Facultate Parisiensis censuratur.

Alexander censurâ Facultatis Parisiensis damnavit atque cassavit.

Celladei opinio ex fine & occasione hujus Decreti vertitur.

18. His de occasione atque fine hujus Decreti habitis, perspicuum est, Alexandrum toto cælo à singulari opinione Celladei dissentire. Nam doctrina reflexa de licito usu opinionis probabilis erat potissima, contra quam, ut laxitatum omnium radicem clamabant adversarii, & consequenter absque dubio in rigidum examen deducta est; illa nihilominus nullâ censurâ notata est, nec digna, quæ damnaretur. At nulla ex damnatis tam necessariò prohibenda fuisset quàm ista, si illa ad conscientiam ritè formandam, & malitiam peccati, ratione sui imputabilis, excludendam non sufficeret. Itaque Pontifex non solum insufficientem functus fuisset officio suo, opinionem illam non taxando, si illa periculum à Celladeo somniatum involveret, sed, quod plus est, contra conscientiam suam peccasset, seque ipsum, ovesque sibi creditas in apertam damnationem præcipitasset, si opinionem jam in examen adductam non condemnasset, quam existimabat esse omnium periculosissimam.

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

sciebatque ab omnibus passim in praxim deduci. Quis autem talia de tanto Pontifice vel suspicari audeat? Constat ergo Alexandrum, non solum ut privatum Doctorem, sed etiam ut publicum Ecclesiæ Pastorem ab opinione Celladei, ac rigida sententiâ fuisse prorsus alienum.

19. Hoc, nisi ex hæcenus dictis sit perspicuum, adhuc clariùs patebit, si perpendantur verba singularis illius Brevis, quo Alexander VII. duplicem censuram Facultatis Parisiensis damnavit, atque cassavit. Facultas duos libros censuraverat, unum gallicè scriptum à Jacobo de Vernant, cui titulus: *La desence de N. S. P. le Pape contre les erreurs de ce temps*; alterum ab Amadeo Guimenio latinè exaratum, in quo Auctor plures, ut præfertur, opiniones morales laxiores collegerat. Verba Brevis ita se habent, cum ad aures nostras pervenerit, duos prodisse libros, &c. (in quibus scilicet censuræ dictæ continebantur) in quibus libris præsumptuosâ censurâ notantur aliquæ propositiones, eaq; præsertim, quæ ad Romani Pontificis, & sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritatem, Episcoporum jurisdictionem, Parochorum munus, Privilegiâ à S. Sede concessa, dispensationes Apostolicas, actionumq; moralium regulam pertinent, & alia, quæ & gravissimorum auctoritate scriptorum, & perpetuo Catholicorum usu nituntur, & cum fieri non possit sine publico Catholica religionis detrimento, ut prædictæ censuræ in commemoratis libris sine debitâ Ecclesiæ animadversione, & damnatione remaneant. Nos, &c. ut gravissimo scandalo, quod inde Catholicis accidere possit, occurramus, habitis priùs doctissimorum ac insignium in sacrâ Theologia Magistrorum ac Professorum, &c. quos ad hæc specialiter deputavimus, consultationibus, ut rei gravitas videbatur postulare, nec non auditis suffragiis venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in totâ republicâ Christianâ Generalium Inquisitorum, motu proprio, & exercitiâ scientiâ nostrâ, deq; Apostolica potestatis plenitudine, præfatas censuras, uti præsumptuosas, temerarias, atque scandalosas haberi volumus; easque nullum valoris, & roboris fuisse, sed cassas & irritas esse declaramus. His dictis, sub gravissimis pœnis dictas censuras prohibet, sicut & libros, scripturas, & alia opera, in quibus præfata censura quomodolibet continentur, laudantur, & defenduntur. Deum post pœnas injunctas hæc subduntur. Ceterum ulterius de præfatis censuris judicium, deq; opinionibus in prædictis libris Jacobi Vernant, & Amadei Guimenii contentis, &c. nobis ac S. Sedi Apostolicæ reservamus.

Causæ, quæ Pontifex censurâ Parisiensis damnavit, explicatur.

20. Ex tenore hujus Brevis perspicuum est, Alexandrum VII. existimasse, ac publicè omnes docuisse, opiniones ad actionum moralium regulam pertinentes, maxime si illæ gravissimorum scriptorum auctoritate & perpetuo Catholicorum usu nitantur, non esse censurâ dignas, & multò minus præsumptuosè censurandas. Constat secundo, talium opinionum censuras in publicum religionis Catholicæ detrimentum cedere, easque proinde esse prorsus intolerabiles, quia hoc expressè asseritur in decreto, & asseritur tanquam motivum, quod condemnationem dictarum censurarum non tam persuasit, quàm extorsit. His positis, sic arguo. Certum est, doctrinam reflexam de licito cujusvis opinionis probabilis, maxime probabilioris usu, non solum gravissimorum, sed omnium omnino, ante Celladeum, Catholicorum scriptorum auctoritate, perpetuoque Catholicorum usu ac praxi esse confirmatam. Præterea sententiâ illa proponitur ut regula actionum moralium. Ergo non est cen-

Opinio rigida Celladei: ex mente Alexandri VII. est intolerabilis.

A

surâ

furâ digna, & multò minùs præsumptuosè censuranda; imò omnis acrior ejus censura in publicum religionis detrimentum cedit, nec absque malo tam gravi tolerari potest. Hæc non ego, sed Alexander VII. post Theologorum consultationem & Cardinalium Inquisitorum Generalium suffragia expressè tradit. Hoc ergo posito, peto, an singularis Auctor absque præsumptuosâ censurâ insurgere possit contra unanimum omnium Doctorem sententiam, in re spectante ad conscientiam ritè formandæ regulam, quam omnes omnium sæculorum Catholici ut legitimam & sufficientem in praxi secuti sunt, & non solùm speculativè loquendo contra illam differere, sed præcticè eam ut periculosissimam arguere, prorsusque contendere, neminem à peccato per se imputabili excusari posse, qui bonâ fide, imò qui certissimâ conscientiâ amplectitur opinionem ullam, si fortè eam falsam esse contingat? nõne hoc est conscientiam priùs rationabiliter quietas turbare? gravissimamque omnibus prorsus scriptoribus Catholicis, universisque eorum dicto se gubernantibus, id est totius Ecclesiæ praxi censuram inurere? Celladeus ipse, ni fallor, ægrè ferret, si quisquam de aliquâ ipsius opinione tam rigidè senuret, illamque per hoc ipsum gravi censurâ notatam esse conquereretur. Agnoscat ergo idem à fortiori locum habere in communi aliarum omnium sententiâ, quod in privatâ suâ opinione locum haberet. Peto etiam, an sententia ulla, quoad substantiam rei, præsumptuosior esse possit, quàm si unus singularis Auctor, aliorum omnium auctoritate & praxi postpositâ, in re tanti momenti novam sententiam priori contrariam non solùm invehat, sed per eam omnes alios gravissimi sceleris reos arguat. Si hoc non sit præsumptuosè opinari, nemo dixerit quid sit opinio præsumptuosâ. At qui asserit, neminem à peccato excusari per se imputabili, qui bonâ fide & certâ conscientiâ sequitur opinionem probabilem, etiam probabiliorum, condemnat omnes alios gravissimi sceleris. In primis sceleris condemnat omnes Auctores, qui talia proposuerunt, quique aliorum conscientias juxta illorum opiniones dirigunt; quia omnes isti proximos in peccandi periculum conjiciunt. Rursus omnes condemnat, qui suam conscientiam juxta probabilia aliorum dicta conformant. Ergo omnes omnino gravissimorum ac frequentium peccatorum condemnat.

Alexander VII. omnes animat ad Celladei conatibus resistendum.

21. Cogitet hæc seriò Celladeus, & inveniet singularem suam opinionem, non juxta meam, sed juxta expressam Alexandri VII. sententiam, Ecclesiæ universæ explicatam, separari non posse à non tolerandâ censurâ contra doctrinam reflexam, id est contra benignam opinionem, quæ ad actionum moralium regulam pertinet, quæq; gravissimorum auctoritate scriptorum & perpetuo Catholicorum usu nititur. Solus enim communem omnium aliorum doctrinam ac praxim ita impugnat, ut omnibus gravissimorum peccatorum incursum imponat. Nullatenus enim stare potest veritas sententiæ, quam tenet, nisi omnes ferè Catholici in rebus, quas ex communi omnium Doctorem consensu licitas credebant, damnabiliter operati sunt. Hæc cum detexerit, respiciat aliquando, & fateatur opinionem suam singularem, & re ipsa, & juxta Alexandri VII. mentem atque doctrinam omnibus publicè traditam, in publicum Ecclesiæ detrimentum cedere, nec sine debitâ animadversione tolerari debere. Ignoscat ergo mihi, si, tam necessario tanti Pontificis

documento nixus, ipsius conatibus obviam eam. Quod me ad hoc impellit, non est contradicendi, non contendendi ardor, sed publici detrimenti metus, sed omnium Ecclesiæ Doctorem fama, quorum alterum amoliri, alteram omni nisu in suo splendore conservare molior. Hæc sunt, Celladee, ut verbis tuis utar, *offendicula, quæ apponit, hæc perplexitates, quas inuiceret tua sententia, quæ timorem nimium incuteret, & peccata multiplicaret, & quod summum est, pauciores salvari, quàm alioquin salvarentur, permetteret, si semel admitteretur ut vera, aut efficeret, ut contraria opinio in dubium vocaretur.*

22. Objicit secundò, Alexander VII. teste Julio Mercero, Magistro Generali Ordinis Prædicatorum injunxit, ut probabilibus restringendis curam omnem adhiberet. Hinc factum est, ut, ipso Magistro Generali adhortante, Mercerus ipse, Baronius, & Gonet adversus illa scripserint. Ergo Alexander VII. censuit, illicitum esse sequi probabilia, alioquin probabilium exterminationem Prædicatorum Generali nunquam injunxisset. Ita Celladeus lib. 1. quæst. 1. §. 7.

Respondeo, Celladeus hæc ita loqui, ut haud facillè appareat, quid sibi velit. Si solùm contendat, Alexandrum Generali Prædicatorum generaliter injunxisse, ut invigilaret, ne Magistri sui Ordinis opinionem nimis laxam sub nomine probabilium latentes docerent, imò ut tales opiniones omni conatu extirpare fatigerent, libenter admitto, quod dicit; talis enim exhortatio & vigilantissimo Pastore digna, & menti ac zelo Alexandri, qui postea 45. propositiones damnavit, est prorsus consentanea. Verùm hoc ad Celladei intentum non conducit, quia hæc solùm quæritur, quid de doctrinâ reflexâ Alexander senserit, & an illius extirpationi studuerit, de quâ quæstione ex generali illâ exhortatione nil inferri potest, nisi aliundè probetur, Alexandrum existimasse doctrinam reflexam de licito probabilium usu esse nimis laxam. Verùm hoc nec ex dictâ illâ adhortatione, nec aliunde probari potest, cum ex dictis constet, oppositum esse verissimum, & id ipsum ex dicendis ulterius confirmabitur.

23. Quod si Celladeus ex obscurâ illâ locutione indicet, atque supponat, Alexandrum VII. imposuisse Generali Prædicatorum curam exterminandi doctrinam reflexam, ut indicare atque supponere debet, si ad finem & scopum intentum collimet; in primis supponit, quod erat probandum, & procedit de subjecto, ut aiunt, non supponente. Deinde haud dubiè fallitur, cum omnibus, qui probè Alexandrum norunt, notorium sit, zelantissimum Pontificem tenuisse communem opinionem reflexam, atque in moralibus eximium Suarianæ doctrinæ sectatorem fuisse. Alexander ergo non injunxit Generali Prædicatorum curam exterminandi doctrinam communem reflexam, sed solùm sollicitus fuit de doctrinis directis nimis laxis, quas exterminari voluit, easque ipsemet magnâ ex parte efficaciter exterminavit, damnando 45. ejusmodi opiniones. Quod si Alexander doctrinam reflexam nimis laxam credidisset, cur illam cum reliquis directis non damnavit? illa certè, non minùs quàm reliquæ, coram illius tribunali in examen venit, mansit tamen intacta, quia nemo ex Qualificatoribus, nec Alexander ipse existimavit doctrinam reflexam esse nimis laxam; imò certum est, omnes unanimiter existimasse eam esse

Alexander VII. injunxit Generali Prædicatorum, ut laxitatem in materiâ morum exterminaret.

Hoc Celladeus non facit.

Pontifex non voluit doctrinam reflexâ impugnari.

esse sufficientem conscientia regulam. Praeterea ex dictis constat, quis fuerit Alexandri sensus de opinionibus, communi doctissimi nouum consensu & perpetua Catholicorum praxi confirmatis. Noluit ille tales doctrinas damnari, sed omnem earum censuram ut malam, & intolerandam rejecit.

24. Rursus quidquid illud sit, quod Pontifex Generali Praedicatorum injunxit, certum est, Mercorum, Baronum, Gonettum toto Caelo à sententiâ Celladei discrepare. Mercorus enim plurimas opiniones probabiles recenset in tertiâ parte, quas ut tutas proponit. Deinde concedit, unumquemque, qui bonâ fide ex motivo rationabili conscientiam format, esse tutum, etsi selectetur partem minus tutam, & erret. Baronus in tantum videtur à communi sententiâ discrepare, in quantum novam assertit probabilitatis definitionem; expressè enim fatetur, usum opinionis probabilis esse licitum, si illa tantum sint probabilia, qua prudentem assensum fundant: ita habet *disp. 1. sec. 2. art. 2. §. 2.* Verùm evidens est, omnem assensum probabilem esse prudentem, ut fuse ostendo *totâ quaest. 2. in tractatu de conscientia probabili*, in qua circa finem num. 10. ostendo, definitionem Baroni esse prorsus falsam & insufficientem. Praeterea idem Baronus *disp. 2. sec. 1. ar. 3.* fatetur, licitum cuique esse sectari opinionem quamcumque verè probabilem, si nulla in contrarium probabilitas urgeat, talem enim opinionem, etsi erroneam, tutam reputat. Imò fatetur, licitum esse sequi opinionem longè probabiliorem, etsi aliqua probabilitas exigua in contrarium afferat. Gonet docet, majorem probabilitatem ad conscientiam securitatem sufficere. Ecce tres illi Dominicani aduersantur Celladeo, qui omnem probabilitatem, imò & certitudinem existimatam pro regulantâ conscientia contendit esse insufficientem. Quorsum ergo istos Auctores, aut Alexandri VII. exhortationem Generali Dominicanorum factam pro se adduxerit, non apparet, cum illi omnes ipsi contrarientur ex professo.

25. Objicit tertiò. Certum est, Alexandrum VII. sensisse doctrinam moralem esse nimis laxatam, quia de hoc expressè conqueritur in Decreto supra citato. Rursus nemo saltem hæc ætate de rigore doctrinâ conquestus est, laxiorem dolent universi. Hoc 45. propositiones laxæ proscriptæ, hoc ipsorum Sacrorum Ordinum iustæ sanctiones testantur. Mutius Vitelleschius Soc. Jesu Generalis ad Superiores pridem scripsit, ut caverent diligenter, ne sui in delectu opinionum eâ normâ uterentur, *Tueri quis potest, probabilis est, Auctore non caret.* Ita Celladeus *lib. 1. quaest. 1. §. 7.* ubi Mutio Vitelleschio prænomi-natum Praedictorum Generalem cum tribus proximè citatis adjungit, & sic concludit. Hinc præter tot Auctores præclaros, sensum etiam habes circa ista probabilia & Romani Pontificis, & Generalium harum sapientissimarum Religio-num.

Respondeo inprimis, nil horum ad intentum facere, quia querelæ istæ solùm impetunt doctrinas directas nimis laxas, de reflexâ mentionem non faciunt, ut constat ex dictis. Quod si de sensu sapientissimæ atque doctissimæ Praedicatorum Familiae sermo sit, illa non ex generali Alexandri VII. ordinatione, obscure satis à Mercoro propositâ, sed ex antiquis illius Constitutionibus, & communissimâ Auctorum suorum sententiâ eruendus est. Constitutiones autem S. R. P. A. Terilli *Regula morum.* PARS I.

Dominici in *glosâ prologi ad litteram* i. hæc habent. *Declaramus quod tria sint præcipuè, quæ salutem animarum impediunt. Omitto duo priora. Tertium est, austeritas in consiliis & opinionibus, terrentur enim homines in tantum, ut salutem propriam negligant, quapropter relaxanda est, quantum fieri potest, rigiditas & austeritas in consiliis, ac homines benignè tractandi sunt.* Auctores verò ejusdem Ordinis omnes uno ore subscribunt benignæ sententiæ, si tres istos à Celladeo proximè citatos excipias, & quidem major longè pars in terminis expressis docet, usum opinionis minus probabilis minusque tutæ esse licitum; reliqui verò omnes id ipsum de majori saltem probabilitate apertè agnoscunt, à quibus illi tres, qui cæteris strictiores videntur, reipsâ parum aut nihil discrepant. Hic est sensus sapientissimi sanctissimique Ordinis, à quo Celladeus totò cælo discrepat, cum solus rigidissimam, atque austerissimam sententiam, in quâ unâ omnis rigidissimarum opinionum rigor comprehenditur, selectetur, neque ullum dicti Ordinis Auctorem ostendere possit, qui ipsi in præsentî quaestione principalique intento non contradicat. Libitum tamen fuit Celladeo lectori fucum facere, atque sensum tantæ familiaræ ut sibi faventem venditare.

26. Neque felicior est Celladeus in mente R. Patris Mutii Vitelleschii investigandâ; ille enim solùm agebat de delectu opinionum, quas à suis subditis eligi optabat. In hoc autem aliud non contendeat, quàm quòd Magistri Societatis novitates fugerent, & solidas, antiquas, communes, & benè fundatas doctrinas sectarentur, ad quod ipsæ eorum Constitutiones eos adstringunt. Siquidem *parte 3. Constitutionum cap. 1. ad litteram O.* Declarationes ita se habent. *Nova opiniones admittende non sunt, & si quis aliquid sentiret, quod discreparet ab eo, quod Ecclesia & ejus Doctores communiter sentiunt, suum sensum definitioni ipsius Societatis debet subjicere, ut in examine declaratum est, in examine autem cap. 3. num. 11. qui admitti petit in Societatem interrogatur, an habuerit, vel habeat opiniones ab iis differentes, quæ communis ab Ecclesiâ, ejuq; Doctores ab eadem approbati tenentur. Et si quando hujusmodi opiniones animam subierint, num paratus sit ad iudicium suum submitendum, sentiendumque, ut fuerit constitutum in Societate de hujusmodi rebus sentire oportere.* Hic sensus Sancti Patris Ignatii in suis Constitutionibus, qui nullum suæ familiaræ idoneum reputat, qui singularibus opinionibus contra communem Doctorum Catholicorum sensum ita adductus est, ut non sit paratus ad sentiendum, sicut à Societate constitutum fuerit. Rursus Quinta Congregatio Generalis *Decreto 41.* in regulis pro delectu opinionum Theologicarum *num. 3.* hæc habet. *In iis etiam, in quibus nullum fidei, pietatisve periculum subest, nemo in rebus alicujus momenti novas introducat quaestiones, nec opinionem ullam, quæ idonei nullius Auctoris sit, is qui præsumt inconsultus, nec aliquid contra Theologorum axiomata, communemve scholarum sensum doceat.* Hic est sensus tum Societatis, tum sacratissimi sapientissimique Ordinis Praedicatorum, quorum dictamina si Celladeus secutus fuisset, nunquam in re tanti momenti communem scholarum omnium sententiam delectâ fuisset, novamque sibi contra omnes consinxisset, sed illi libuit Ordines illos laudare, atque eorum dictamina tanquam sibi faventia venditare, cum tamen ab eorum præceptis in hæc singulari suâ opinione expressè recedat, atque è diametro illis contrarietur. Praeterea minimè omnium citare

Sensus Societatis & R. P. Mutii Vitelleschii Celladeo cõtrariatur.

debuisset R. P. Mutium Vitelleschium, de quo ex dictis num. 6. constat, quod iusserit, resolutionem probabilem semel factam à totâ Provinciâ Paraquariensi assumi pro uniformi regulâ operandi in re summi momenti, qualis illa erat, de qua agebatur. Ergo R. P. Mutius non solum in iudicio suo, sed etiam in Ordinationibus suis prorsus contrariatur Celladeo.

Rerum sui
temporis no-
titia de-fide-
ratur in Cel-
ladeo.

Celladei co-
tradictio.

Hac ætate
plures ni-
mis strinxe-
runt con-
scientias,

Incongrua
exaggeratio
Celladei,
quæ illum
premit no-
bis favet.

27. Respondeo secundò, non exiguam in hæc Celladei objectionem eruditionem, ac rerum gestarum notitiam desiderari. Ait enim, *neminem hæc saltem ætate de rigore doctrinæ conquestum esse.* Verum hoc evidenter falsum est, sive de directâ, sive de reflexâ doctrinâ sit sermo. De reflexâ dubium nullum est, omnes enim, qui in defensionem doctrinæ reflexæ scripserunt, sunt autem plurimi, expressè queruntur, doctrinam moralem nimis restringi ab iis, qui negant licitum esse sequi opinionem practicè probabilem, quod adeo notorium est, ut Celladeus ipse in eadem paginâ, in qua dicit, *neminem hæc ætate de rigore doctrinæ conquestum esse*, fateatur plurimos contendere ac obtendere per rigidam sententiam viam salutis reddi difficiliorem, peccata multiplicari, pauciores salvari, &c. adeo parùm sibi constat, sibi quæ apertè contradicit in iis, quæ immediatè inter se copulat, & nobis sub uno oculi obtutu legenda exhibet. De doctrinis etiam directis id ipsum nimis notorium est. Alexander enim VII. plures integros libros Abbatis Sancirani, Episcopi Aletensis, & aliorum in Galliâ, qui renovare volebant antiquam, ut aiebant, severitatem pœnitentiæ aliosque rigores, condemnavit. Similiter plures assertiones rigidæ contra Regularium privilegia non ita pridem prodierunt, quarum duæ, cum aliis quatuor ad favorem Regularium pertinentibus, Alexandro VII. oblata fuerunt, ut suum de illis iudicium, tanquam indubitam rectè sentiendi regulam interponeret. Pontifex post diligentem rei inquisitionem declaravit duas illas propositiones, suppositis Privilegiis Apostolicis, nullam mereri censuram, quamvis alias quatuor gravi censurâ notarit. Prodiit Decretum 30. Jan. an. 1659. ut refert Fagnanus in *cap. ne imitariis, de constit. num. 339. propè finem*, eoque Decreto mandavit Pontifex, qualificationem & declarationem hanc suam à cunctis tenendam, & in praxi observandam esse. Ecce hæc nostrâ ætate opiniones non pauca nimis rigidæ aut noviter prodierunt, aut è cineribus suscitatae sunt, quas supremum Ecclesiæ Caput, auctoritate suâ interpositâ, explosione atque condemnatione dignas censuit. Porro mirum est, hæc tam notoria, tam recentia in omnium oculis gesta, & à scriptoribus recentissimis recensita, Celladeum latuisse. Latuerunt tamen, ut apparet, cum oppositum pro explorato habeat.

28. Demum adverto, mirum videri, quomodo vir Theologus, qui tres tantum Auctores citaverat, concludere ausus sit his verbis magnificis, *hinc, præter tot Auctores præclaros, habes sensum Romani Pontificis & Generalium harum sapientissimarum Religionum.* Quis hæc legens non crederet, illum ingentem Auctorum numerum pro se citasse. Certum tamen est, quod trium tantum mentionem fecerit. Præterea ex illis tribus nemo est, qui in principali questione ipsi apertè non contradicat; sicut etiam sensus Romani Pontificis, ac duarum illarum Religionum è diametro ipsi adversatur. Caterùm miserrimum est illud arguendi genus, quod cum veritate ap-

plicari potest sententiæ, contra quam assertur cum opinioni, cui confirmandæ adhibetur, non nisi apparenter, impropiè, & cum intolerabili hyperbole applicari possit. Hoc tamen arguendî genere usus est Celladeus. Si enim ille pro suâ sententiâ confirmandâ pondus in eo posuerit, quod tot præclaros Auctores pro se habeat, cum tres tantum protulerit, quomodo non addetur majus pondus sententiæ, quam impugnat, quæ non solum tres, sed absque exaggeratione trecentos Auctores præclaros, imò, demptis pauculis, omnes omnino pro se citare possit? Præterea pauci illi reipsa parum aut nihil à communi sententiâ discrepant, & nullus illorum est, qui Celladei opinionem non explodat. Caterùm hæc Celladei exaggeratio facilius tolerari potuisset, si Auctoribus illis, sapientissimisque Religionibus singularissimam suam sententiam falsè non affinxisset. Verùm cum in hoc aliis præjudicâret, ut sibi suæque opinioni auctoritatem conciliaret, id abique debitâ animadversione omitti non debuit.

29. Objicit quartò. Romani Pontifices nunquam usi sunt opinionem practicè minùs probabili, esto secuti sint opinionem speculativè minùs probabilem. Dato enim, quòd in universalis sit minùs probabile, Papam posse dispensare in matrimonio, tamen in raris illis casibus, in quibus dispensatum est, Pontifices habuerunt circumstantias, & causas particulares discordandi ab opinione universalis, ob quas practicè probabilius erat dispensationes illas validè & potuisse, & fortè etiam aliquo modo debuisse concedi. Hac responsione dissolvuntur, quin & retorquentur quæcunque ex factis Romanorum Pontificum satis odiosè producantur aliqui Recentiores. Ita Celladeus *lib. 1. quest. 17. §. 4. in fine.* qui similia repetit *lib. 3. quest. 1. §. 2. in fine.* Ubi dicit, Romanos Pontifices, dispensantes in voto solemnî aut in matrimonio rato, habuisse circumstantias aliquas, per quas universalis opinio, negans tales dispensationes esse validas, corrigitur, sicut lex universalis corrigitur per Episkiam; sed quia dispensatio non fit per Episkiam, quæ locum non habet in dubiis, ideo tunc necessaria erat dispensatio. Ita ille.

Respondeo, opinionem docentem, Matrimonium ratum à Papâ dissolvi non posse, ad omnes prorsus circumstantias extendi, ita ut sensus illius sit, facultatem illud irritandi, seu in eo dispensandi in Papâ non residere, eò quòd in nullis prorsus circumstantiis validè dispensare possit. Quòd hic sit sensus illius sententiæ est indubitatum. Hoc autem stante, repugnat ulla afferri circumstantias, quibus validitas dispensationis reddi possit probabilior ejusdem invaliditate; quia nil assertur in particulari, quòd antea in generali non rejiciebatur. Et sanè, si ullæ tales circumstantiæ afferri possent, eo ipso opinio universaliter affirmans dispensationem talem esse invalidam esset falsa, majorem quæ suam probabilitatem perderet. Verùm nullæ ejusmodi circumstantiæ hæcenus aut in particulari, aut in generali assignari potuerunt, quia, omnibus illis non obstantibus, opinio negans validitatem subsistit, nihilque de suâ probabilitate amittit, quamvis neget etiam in illis talem potestatem subsistere. Ergo nil in particulari assertur ad formandam conscientiam, quòd antea non erat consideratum & rejectum ab opinione universaliter negante, potestatem Papæ ad tales circumstantias extendi. Ergo nil est per quod talis dispensatio

Pontifices non habuerunt peculiares circumstantias, ratione quarum certificarètur de validitate dispensationis.

fatio in particulari reddi possit practice probabili-
 or, si in universali, speculative loquendo, sit
 probabilis Papam absolute carere tali potestate
 pro omnibus circumstantiis. Itaque haec dubie
 nulla est hæc Celladei responsio; idque non so-
 lum juxta rei veritatem, sed etiam consequenter
 ad illius doctrinam, quia ille tum in hæc quæst. tum
 alibi expressè docet, quod judicium practicum
 particulare discrepare nequeat à speculativo seu
 universali, (hoc enim se intelligere nomine ju-
 dicii practici & speculativi expressè declarat) nisi
 adsint rationes & circumstantiæ novæ, quæ in ju-
 dicio universali formando non erant consideratæ
 & rejectæ. At omnia è contrario se habent in ca-
 su præsentis. Ergo, juxta Celladei doctrinam,
 Pontifices in datâ suppositione sequuti sunt opi-
 nionem practice minus probabilem, minusque
 tutam. Quod si res hæc non directè sed reflexè
 consideretur, & quærat, non quid valide fiat,
 sed quid, stante opinione directè enuncian-
 tium diversitate, Pontificibus liceat, utique as-
 sero, probabilis illis fuisse, se licitè dispensasse;
 verum eadem rationes reflexæ æque procedunt
 de omni opinione probabilis directæ minus tutæ,
 nec Celladeus contrarium perluadere poterit;

Pontifices
 habuerunt
 majorem pro-
 bilitatem
 reflexam,
 quod dispe-
 satio esset
 licita.

donec aliquid in particulari attulerit, vi cujus
 ostendat, Pontifices habuisse aliquid peculiare
 talibus materiis appropriatum, quod aliis appli-
 cari nequit. Præterea ex historica narratione ha-
 rum dispensationum, quam quæst. 22. de conscientia
 probabili, num. 85. & seq. relata habes, constat
 nullas ejusmodi circumstantias peculiare inter-
 venisse. Fucum ergo facit Celladeus, dum nullâ
 probatione allatâ sub terminis generalibus dicit
 oppositum contigisse.

30. Et sanè hoc argumentum, à praxi ac Do-
 ctrinâ Romanorum Pontificum desumptum,
 tam efficax est, ut illud solum benignæ sententiæ
 veritatem prorsus evincat. Certè si talia pro sen-
 tentiâ rigida afferrentur, ergo statim manus da-
 rem, atque illi, veritate cogente, subscriberem.
 Sed hoc indicasse sufficit, quia æquus Lector ex
 ipsâ quæstionis hujus ponderatione id ipsum suf-
 ficienter intelliget. Quod si quis desideret videre
 solutionem eorum, quæ alii ad eludendam Pon-
 tificum praxim, nobis nimis apertè faventem,
 attulerunt, adeat quæst. 22. de conscientia probabili,
 ubi à num. 227. omnia ejusmodi collecta & solu-
 ta inveniet.

QUÆSTIO NONA.

*Virum rigida sententia repugnet illi textui Sacra Scripturæ,
 Iugum meum suave est?*

ASSERTIO PRIMA.



QUOD benigna sententia con-
 formis sit Sacra Scripturæ, &
 fundamentum in illâ habeat, la-
 tere ostendi quæst. 25. de conscientia
 probabili, ubi plures textus at-
 tuli, & quæ in contrarium allata

fuertant dissolvi. Inter reliquos autem textus,
 illum Matt. 11. versu 30. Iugum meum suave est, &
 onus meum leve: ponderavi, & ex illo aliisque
 idem exprimentibus communem sententiam sta-
 bilivi. At Celladeus lib. 1. quæst. 2. vehementer
 insurgit in eos, qui nituntur hoc textu, quod
 idè se facere testatur, ut in exordio suæ dispu-
 tationis removeat argumentum, quod in omnium
 ore versatur, & ubique obrudatur. Itaque ut
 hoc argumentum convellat, duo conatur ostend-
 dere. Alterum est, legem Christianam, ejusque
 facilitatem non à rebus præceptis, sed aliunde
 esse sumendam. Alterum est, paradoxum prorsus
 incredibile, & communi omnium experientia
 contrarium, nempe benignam sententiam non
 reddere Christi legem leviolem, sed eam efficere
 longè graviolem, quàm eam reddat sententia
 rigida. Quocirca ut paradoxum hoc falsitatis
 convincatur, examinandum est, quæ & quanta
 sit difficultas legis Christianæ, ex cujus quæstio-
 nis determinatione apertè constabit, benignam
 sententiam ex citato Sacra Scripturæ textu valide
 comprobari. Sit ergo.

*Nil aptè dici potest onus grave vel leve,
 nisi prius determinetur status aliquis
 virium, cum quibus onus com-
 paratur.*

Nil est gra-
 ve aut leve
 nisi respectu
 virium de-
 terminatè
 sumptarum.

2. PROBATUR. Onus grave & leve sunt de-
 nominationes relativæ, non absolutæ;
 nam pondus, quod puerum opprimit, viro ro-
 busto est levissima sarcina. At denominationes
 relativæ intelligi nequeunt, nisi fundamentum
 quod refertur, & terminus ad quem refertur,
 proponantur. Ergo nil aptè dici potest onus gra-
 ve vel leve, nisi vires determinentur, cum quibus
 onus comparetur. Itaque impossibile est ritè in-
 telligere ac determinare, utrum lex Christi sit
 onus leve vel grave, nisi consideremus naturam
 humanam in aliquo statu determinato, & conve-
 niamus quænam sint vires naturæ in illo statu
 consideratæ.

ASSERTIO II.

*Stabilito statu natura, viribusq. illi statui
 convenientibus determinatis, gravitas le-
 vis aliunde desumi non potest, quàm à re-
 bus ipsis, quas lex prescribit.*

Stabilitis vi-
 ribus natu-
 ræ conven-
 ientibus,
 gravitas le-
 vis à solis
 rebus præ-
 ceptis desu-
 mitur.

3. PROBATUR. Quamdiu vires sumuntur in
 mensurâ determinatâ, repugnat quidquam
 esse grave aut leve respectu illarum, nisi denomi-
 natio illa compleatur per res ipsas; quia solæ res